

05

A

841



URANOLOGIA

quam

Divina favente gratia

In Illustri Wittebergensium Academia

Publica disputationi subjiciens

M. MARTINUS HEINSIUS

Spandoviensis Marchicus

&

JOHANNES SCHINDLERUS

Chemnicensis Misnicus, Alumn. Elect.

Ad diem 25. Febr. horis matutinis,

In Auditorio Philosophorum.

WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.

Anno M DC XXXVII.





V I R I S

Plurimum Reverendo, Amplissimis, Consultissimo, Clarissimis atq; Excellentissimis

Dn. PAULO ROBERO, SS. Theol. D. & Prof. P. Pastori
& Superattend. in circulo Elect. generali vigilantiss. nec
non Consistorij Ecclesiastici Assessori longè dignissimo.

Dn. JEREMIAE REUSNERO J. U. D. Prof. Publ. Collegij
Juridici Seniori, ut & Scabinatus & Curiae Provincialis
Witteb. Assessori gravissimo.

Dn. M. ERASMO SCHMIDIO Graec. Lingv. & Mathem.
Prof. Publ. & Ampliss. Facult. Philos. Seniori optimè merito.

Dn. AUGUSTO BUCHNERO Poët. & Orator, Prof.
Publ. famigeratissimo.

Dn. M. JOHANNI SPERLINGIO Phys. Prof. P. celeberrimo.
Et

Reverendo admodum Clarissimo atq; Eximio,

Dn. ANDREAE KUNADO SS. Theol. Licentiate &
Electoralis, quæ Portæ est, Scholæ p. t. Rectori meritissimo.

Illustris Gymnasij Portensis olim Alumnis,
& nunc Ecclesiæ ac Scholarum Luminibus,

*Dnn. Præceptoribus, Promotoribus ac
Patronis suis ac atem suspiciendis sum-
moq; observantia cultu prosequendis.*

Disputationem hanc Physicam,
In debitæ gratitudinis documentum,
Et ulterioris benevolentia incitamentum,

Consecrat & offert

Johannes Schindlerus Chemni-
censis Autor & Respondens.



05 A 847

באלהים



Ad Cœlum, augustissimum illud divina sapientie & præpotentia theatrum, quotiescunq; oculorum convertimus aciem, nulli possumus, quin ejus arbitrium, eumq; qui supra Stellas est, sanctè veneremur. Gentiles etiam admirando hujus aspectu obstupuerunt planè, idq; ob eximia pulchritudinis speciem Dei solium suspicati sunt. Quin imò præ singulis animantibus hominem erecto fabricatum esse corpore contenderunt, ut eis ἰσχυρὰν ἕραν ὀφθαλμοὺς elevaret, & τὸ καὶ λὸν ποικιλία τέκτονι σὺν φῶσι diligèter perlustraret. Ut igitur amplissimū illud præpotentis Numinis artificium nos etiam quotidie eò accuratiore mentis lumine pervidere gestiamus, opera certè pretium erit quàm maxime, nativitate ejus penitus paulò pleniusvè contemplari, ut non elegantioris duntaxat literatura desiderium magis magisq; in nobis incendamus, sed & domicilij hujus jucunditate atq; præstantiâ excitati, vitæ morumq; puritati studeamus. Tu bone. Christe juda! Sit ita.

THESIS I.

Cœlum est corpus naturale simplex, subtilissimum & amplissimum, supra Elementarem regionem à Creatore expansum, ut esset commune astrorum currentium domicilium.

Ἐκ θεοῦ.

Cœlum juxta Scaligerum & plerosque alios à Græco κοίλας derivatur, & sumitur hîc pro tota ætherea regione stellas

A 2

omnes

omnes cū fixas, tū erraticas continente. *Est corpus naturale simplex*, quod manifestum satis. Nam *corpus* est, quia materiā & formā constat. *Naturale est*, quia à Natura, non ab arte esse suum habet. *Simplex est*, quia omnis mixtionis expers. Ob formæ latentiam *differentia* sumitur. 1. ab affectionibus insignioribus, quæ sunt subtilitas & amplitudo summa, cœlique formam à Deo in creatione productam insequuntur. 2. à loco quem supremum sibi & eminentissimum vendicat. Unde etiam in Hebræo vocatur דָּוָם à radice Arabica دَوَم quæ excellere, eminere, altum esse significat. 3. à causa efficiente. 4. à fine, quemadmodum hæc & cætera definitionis verba ex causis & affectionibus cœli, quæ sequuntur, dilucidius patebunt.

THESIS II.

Causa cœli efficiens est Deus.

Εὐθεσις.

Pulcherrimum hoc cœli opificium non per se existere, aut extitisse olim prius, quàm à Deo regeretur; sed ab ipso sapientissimo rerum omnium architecto extractum atque ædificatum esse, non tantùm Cynosura omnis veritatis Scriptura disertè testatur, sed & sana ratio evincit ad principium & primam causam nos deducens. Ita enim Scalig. Exerc. 3. *Si Dei nutu gubernantur omnia; id quod nemo mentis compos negare potest: necessario sequitur eundem omnium fuisse effectorem. aut si non fecit: igitur ab alio factum acceperit, vel mutuò, vel commodato, vel vi, vel emptione, vel deposito vel locato, vel legitima successione, vel in vacuam venerit possessionem, vel iussu tanquam minister aut servus, aut mercenarius à Domino. Atqui hæc omnia mera nuga sunt, eaq; impia.* Ergò.

Neque verò Deus fabricator tantùm; sed etiam conservator cœli est: ut ita malè Autor l. de mundo Deum absentem per suos $\text{πυλωρὺς καὶ ὠτακτύς}$ rebus infra sese constitutis, atque ita cœlo etiam imperare fingat. l. de Mundo cap. 7. Tametsi namque Deus causis secundis vires agendi implan-

833
implantavit; tamen ipse non interea cum Jove Homérico ad
Æthiopes commessatum proficiscitur, aut cum Junone cubi-
tum discedit, sed præsentissimè omnes res conservat, & nutu
suo potenter gubernat.

THESIS III.

Materia cœli simplex est, & à materia reliquo-
rum corporum inferiorum distincta.

Ἐκθεσις.

Materiam esse in cœlo, probatu facillimum est. Aver-
roes quidem l. de subst. orb, c. 2. & alibi, cœlo materiam de-
negavit, quam opinionem etiam Zabarella comprobat l. de
nat. cœlic. 6. Verum corpus naturale cogitare absque mate-
ria, est *insomnium sine somno, vel ponere panem sine farina, ut*
Scalig. l. 1. de Plant. jocatur. Deinde cœlum est quantum,
quod illa partium & situs distinctio facile demonstrat. Ergò
materiam necessariò habet. Quandoquidem per naturalem
resultantiam ceu accidens quoddam immediatum ex materia
quantitas fluit. *Vid. Rev. plurimum Dominus D. Jacob Mar-*
tini l. 1. Exercit. Metaph. Exerc. 5. pag. 206. Hæc Materia est
1. simplex. Simplex nempe corpus est cœlum. Ergò simplici
quoq; constabit materiã *2. à materia reliquorum corporum in-*
feriorum distincta, ut Excellentiss. Dn. Sperlingius in publ. prælect.
accuratè demonstravit. Nam ubi alia forma, ibi etiam alia
materia, Canon Philosophorum usitatus est.

Hinc tale argumentum.

Cujuscunque forma distincta est à formis corporum in-
feriorum: illius materia etiam distincta est à materia cor-
porum inferiorum.

Sed cœli forma distincta est à formis corporum inferio-
rum. Ergò.

Major claret, quia distincta forma distinctum postulat
habitaculum. Adde, quod quò forma nobilior, eò nobi-
bilis illud etiam sit oporteat.

Minor probatur, quia alia est essentia cœli, alia aeris;
alia ignis & reliquorum corporum inferiorum, quæ di-
stinctam formam satis arguunt.

A 3

THE-

THESIS IV.

Forma cœli est pars illa substantialis, per quam cœlum est id quod est, suasque edit operationes, & ab inferioribus corporibus discernitur.

ἐνθεος.

Formam inesse cœlo apud saniores Philosophos certissimum est. Verum quæ sit illa Forma, valde disceptari solet. *Scalig. Exerc. 359. f. 8. Zabarella & alij* assistentem quandam formam, seu spiritum aliquem cœlo attribuerunt, qui orbem circumrotaret. *Ita Arist. l. 12. Metaph. c. 8.* intelligentias orbium motrices commentus est. Hinc *Averroes lib. 12. Metaph. t. 44.* non credit plures esse intelligentias, quàm sint orbis, quia otiosa essent: & ita vix octo vel novem forent intelligentiæ. Sed unde solidè probabunt, quod scribunt?

Alij, ut *Connimb. l. 2. de cœl. c. 1. q. 1. art. 1.* annotant, pro forma cœli animam habuerunt, ideoque cœlum animatum esse statuerunt. Verum ex doctrinâ de Anima hæc opinio facile refutatur. Optima sententia est, quâ cœlum formâ informante constare statuitur, 1. quia sine hac corpus naturale non esset. Nam id ipsum Materia & Forma intrinsecè & essentialiter constituunt. 2. Quia hæc requiritur ad operationes cœli edendas, quas, cum naturales sint, à principio interno, forma videlicet informante provenire oportet. Quamvis autem, quænam illa sit, & quo nomine veniat, ignoretur, tamen propterea esse non desinit. Aut quis mihi edissertabit propriam formam muscæ, pediculi, culicis? quis lapidis, qui ante pedes jacet? Hoc scimus, formam illam perfectissimam & nobilissimam esse, cum nobilissimas edat operationes, ut experientia cotidiana comprobatur.

THESIS V.

Finis cœli est, ut gloriam Dei enarret, suoque influxu inferiora conservet, & præcipuè astrorum receptaculum existat.

ἐνθεος.

Ex Genesis.
Finis, ob quem florentissimum illud coeli opificium edificatum est, vel *primarius*, vel *secundarius* est.

Ille est gloria Dei, quam coeli enarrant, dum bonitatis divinae declarationem, & suo modo communicationem ante oculos nobis proponunt. Hic est inferiorum salus, (ut in ultima coeli affectione probabitur) & praebere astris domicilium, ut in eo motus suos peragant. Non enim in aëre, sed in coelo seu firmamento luminaria Deus posuit Gen. I. v. 17.

THESIS VI.

Affectiones coeli sunt 1. Quantitas egregia. 2. Figura rotunda. 3. Subtilitas. 4. Perspicuitas. 5. Invisibilitas. 6. Immobilitas. 7. Incorruptibilitas. 8. Occulta influentia.

Ex Genesis.

Cum penuriâ formæ coeli maximè laboremus, illius loco affectionibus uti cogimur. *Prima* igitur est *Quantitas*, quæ ex materiae praesentia, & coeli extensione facile probatur. *Egregia* verò hæc est, siquidem coelum non tantum totam Elementorum compagem ambit, sed astra etiam, maximæ quantitatis corpora, continet. 2. *Figura* coelo inesse statuitur. Est enim quantum. At omne quantum figuratum est. Qualis verò illa esset, apud Veteres fuit disceptatum. Alij enim ovo, alij testudini, alij pineæ nuci similem, alij denique aliam coeli formam esse contenderunt. *Magis. in physiol. l. 2. c. 2.* Communis sententia est, coelum esse rotundum, quia 1. corpori capacissimo & perfectissimo capacissima etiam & perfectissima figura, qualis rotunda est, rectè tribuitur. 2. quia Stellæ ad rotunditatem accedunt, probabiliter colligitur, ipsarum subjectum etiam, in quo consistunt hæc corpora, globosum & rotundum esse.

3. *Subtilitas* ex motu Stellarum claret. Nam est Stellis pervium, eisq; cedit & cursum liberum admittit. Imprimis Planetæ id testantur, qui magnitudinis varietate observantur, atque



atque ita modò adscendunt, modò descendunt, quod in crassa aliqua & dura substantia fieri nunquam posset Et hanc etiã tenuitatem astruit Hebræum עֲרֵב quo nomine Cœlum appellatur, cujus radix est עָרַב & notat expandere, seu extendere veluti cum pellis aut auleum extenditur, aut metallum malleo deducitur & attenuatur. Drusius super Gen cap. 5.

4. *Perspicuitas* subtilitatis & tenuitatis consequens est. Nam cum cœlum sit Stellarum domicilium, quas ad usum nostrum oportebat transparere, illud quoque divinã sapientiã perspicuum fuit conditum, ut lumini & speciebus visibilibus transitum permetteret. Unde 5. *Invisibilitas* cœlo tribuitur. Nam quod perspicuum est, visum non terminat, sed transmittit, ideoque ob id cœlum invisibile quoque dicitur. Neque verò caruleus, qui videtur, color ullus in cœlo est, sed apparet. Hoc eleganter docet Scalig. Exerc. 61. f. 3. & Exerc. 66. f. 1. *Videtur*, inquit, color aliquis esse cœli, qui Saphirinus à gemma, caruleus ab eo dicitur. *Videri tamen potius, quàm esse arbiendum est.* Nam & aër, cum prope nos nullum habeat colorem, procul habere videtur tamen. Ratio est, quia densatur non per compositionem partium, sed per dispositionem. Vide Rev. admod. Lic. Scharf. Phys. recog. l. 1. spec. cap. 2. 6. *Immobilitas* asseritur, quia ejusmodi corpus subtilissimum ad motum, præsertim tam vehementem & concitatum, qualem aliàs cœlo adscribunt, ineptum est. Scalig. Exercit. 358. ita inquit. *Cœlum quiescit in suo loco totum; ejus partes irrequietis moventur rotationibus, ut similis sit infinitæ figuræ infinitas apparatus rotationis ad semper questam metam.* Scilicet quemadmodum noster aër totaliter consideratus, immobilis est: movetur tamen juxta has vel illas particulas ab alijs, quæ in ipso moventur, quando confluit, ne vacuum detur: ita juxta Scaligerum cum cœlo comparatum est. 7. *Incorruptibilitas* cœlo adscribitur, ob causæ destruentis negationem & subjècti recipientis incapacitatem. Quæ enim illa vis naturalis est, quæ cœli naturam destruere aut corrumpere valeat? Præterea

terea coelum non est mistum, & è principijs diversis, interitum-
 que minitantibus conflatum. Quomodo igitur corrumpi
 possit? Non enim materia sola statim corruptionem infert:
 sed plura ad eam requiruntur, ut ex doctrina de corruptione
 patescit. Interim ex sua natura tantam non habet essendi
 necessitatem, ut nulla vis infinita & supernaturalis illud de-
 struere & annihilare queat. Sacra namque pagina melius,
 quam Ethnicus ille Philosophus nos edocet, coelum olim,
 cum omnibus quæ in mundo sunt, interiturum esse. 8. *Oc-
 culta influentia* tandem coelo attribuitur, quæ est concursus
 quidam virtualis, quo coelum in hæc inferiora operatur.
 Nam coelum habet propriam suam formam specificam, quæ
 otiosa non est, sed actuosa omninò. Igitur proprias etiam
 in hoc inferiori mundi globo exercet actiones, licet, quomo-
 do & qua ratione illud fiat, nesciamus.

THESIS VII.

Sequuntur Stella, quæ in caelo continentur. Sunt
 autem Stellæ corpora naturalia simplicia, lucida
 globosa, semper mobilia, ex primæva luce ad in-
 feriorum salutem à Deo producta.

ἐκ θεοῦ.

Communiter dicunt Stellas esse partes coeli, & saltem
 ab eo differre, quod sint compactiores seu densiores: coelum
 verò subtile & rarum. Verùm contentum non protinus pars
 continentis est. Sicut videmus pisces in aqua, homines in
 aëre contineri, & tamen illi aquæ, hi verò aëris partes non
 sunt: ita etiam Stellæ in coelo, tanquam in continente mo-
 ventur, ejusdem verò partes non sunt, sed alia in hoc, alia in
 istis natura optimè esse potest. In data descriptione *Genus*
est, corpus naturale simplex, Ubi simplicitatem respectivè in-
 telligimus, eamque opponimus mistioni, quæ Stellis utique
 deneganda est. *Differentia* complectitur causas. *Efficiens*
 est Deus, qui quarto creationis die produxit eas, ut ex sacris
 constat. *Finis est* vel *Generalis*, vel *Specialis*. Ille est ut in-

B

feriorum



feriorum & hominis salutem promoveant, cujus gratia res omnes à Deo sunt productæ. Hic est ut luceant super terram & variastemporum vices dimetiantur.

Materia à plerisque creditur esse lux illa primogenia primo creationis die facta. Ita Excellent. & Experient. Dn. D. Sennertus docet Phys. l. 2. cap. 2. *Veritati consentaneum est, Deum Opt. Max. lucem illam primævam, quam primo die creaverat, quarto die in stellas distribuisse, & hinc omnem Stellarum numerum prodijisse. Primogeniam enim illam lucem in nihilum redijisse, absurdum est: cum bona fuerit.* Hanc igitur, quia opus erat inchoatum, perfectione ornavisse Deum, & in certos quosdam globos ac *Φωσφæρα* congestisse statuendū est. Contra Franc. Vallesius de sac. Phil. in Gen. cap. 1. *ex ipsa firmamenti substantia facta esse astra arbitratur.* Sed prior sententia verisimilior est, ut in ipso conflictu videbimus. *Forma* est illa interna causa, per quam Stellæ constituuntur, suasq; essentielles proprietates & effectus habent, atque à cœlo, & inter se differunt, Verùm quæ ista sit & quomodo appellari debeat, Deus novit. Veræ enim formæ (Scaliger tamen hominis exceipit) Deo soli sunt notæ. Igitur in definitione loco ejus nonnullas affectiones posuimus.

THESIS VIII.

Affectiones Stellarum sunt 1. Quantitas, 2. Figuræ rotunditas. 3. Lux, 4. visibilitas. 5. motus. 6. Vis agendi in hæc inferiora.

Ἐκθεσις.

Stellarum *quantitas* non facilè negari potest. Nam etiam sensus de illarum extensione, quæ quantitatis formalis ratio est, nos certiores faciunt. Per multa millia miliaria à nobis distant, & tamen videntur.

2. *Figura rotunda & globosa* eis attribuitur, quod inde patet, quia Sol, Luna, cœteræque Stellæ omnes in omnibus terræ locis orbiculares appareant.

3. *Luna*

3. *Lux* inest omnibus stellis per essentiam, licet alia fortius, alia debilius emittant lumen pro magnitudinis & officij ratione, quod Deus singulis in prima creatione imposuit. Ita Sol maximam habet lucem & cæteras simul Stellas illuminat. Luna verò debilissimam. Ubi veritati consentaneum est, quod quò major & conjunctior facta fuerit lucis primogeniæ particula, nobiliorque ei indita forma; eò splendor Stella sit, aliasque claritate & magnitudine antecellat.

4. *Visibilitas* Stellarum ex luce proficiscitur. Nam lucidum quod est, specie propria in visum incurrit.

5. *Motus* Stellarum manifestus est. Nam Sol tanquam sponsus è thalamo suo prodit, & Stellæ etiam cæteræ omnes in cælo moventur. Hic motus verò naturalis est, & ab interna facultate à Creatore Opt. Max. Stellis inditâ provenit sine violento & externo impulsu, *Qui enim voluit & jussit Deus ut motu tempora, dies & annos Stella describerent, idem iis efficientia vires dedit;* inquit Excellent. Sennert. l. 2. Phys. c. 2.

Deinde motus ille ab ortu in occasum unus esse à Physicis creditur, qui juxta longitudinem & latitudinem suam considerari debet. Sic Sol juxta longitudinem singulis diebus ab ortu in occasum viam absolvit, & hac revolutione diurna diem definit. Juxta latitudinem verò diversa habet puncta; unde à circulo, quem hodie Sol descripsit in cælo, cras deflectit, & hoc annuo motu annum efficit. Si cæteræ Stellæ periodum suam vel citius vel tardius absolvunt, id fit tum ob viarum differentiam, cum Deus huic Stellæ latiore, alteri strictiorem præscripserit viam: tum ob formarum diversitatem, quibus ipsæ Stellæ inter se differre videntur ex his essentialibus actionibus, aliisque effectibus.

6. *Vis agendi in hæc inferiora* insignis & maxima est. Nam conditæ sunt in signa & tempora, & dies & annos, ut luceant & lumen super terram effundant. Sic egregia cognatio & quasi familia Stellarum est cum his inferioribus.

Nonnullæ Stellæ habent cognationem cum aquëis effluvijs, nonnullæ cum igneis, & sic porrò: unde pro ratione oppositionis & conjunctionis varietates tempestatum introducunt, aliasq; rerum sublunarium mutationes promovent, ut quotidiana experientia infinitis penè exemplis testatur.

QUÆSTIONES.

1. Unde deducatur vocabulum Hebraicum

מים ו R.

Magna aliàs est controversia in Scholis Hebræorum, an exceptis nominibus propriis, voces adhuc plures in Ebræa lingua compositæ reperiantur. Per plurimi verò & inter eos etiam Buxtorf. *in thes. Grammat.* p. 66. & Trostius noster p. m. alijq; Viri autoritate magni, & orientalium linguarum peritissimi pro negativa concludunt, & in deductione multarum vocularum Hebraicarum ad radices Linguarum cognatarum recurrere nos jubent.

Inter ejusmodi vocabula, de quibus litigant artifices, est etiam vocabulum מים, quod alij deducunt ex מים ibi & מים aquæ ut Münstero placuit, quasi ibi supra cælum magna quædam aquarum coelestium copia subsistat. Schindlerus à מים adjectione dualis numeri מים derivat, citante B. Meisnero *Part. 1. Phil. Sobr. f. 3. c. 4. q. 1* eoq; nomine notari putat aut polorum duplicitatem, aut duorum Hemisphæriorum æqualitatem. Alij deducunt ab מים ignis & מים aquæ, quasi cælum creatum sit ex aquis & igni. Alij ex מים quod in quart. Cõjug. obstupescere significat, & מים quasi stupendo planè modo aquæ supracœlestes ibi repositæ sint, vel subcœlestes suspensæ hæreant, donec Dei arbitrio demittantur. Verùm i. nullæ, (ut dictum, & alibi demonstratur) vel certè paucissimæ dantur voces Hebrææ compositæ. 2. Ejusmodi derivationes sunt longissimè dissitæ, varijsque ex parte indigent mutationibus. 3. Sunt potius suaves allusiones, quàm genuinæ nominis deductiones. Tutissimum igitur est, Etymologiam

logiam hujus vocis desumere à radice linguæ cognatæ Ara-
 rabicæ **لَوْ**, quæ in Hebraica **לֹא** ἀναλογία esset **לֹא**
 & excellere, eminere significat, quia cœlum omnia excellit,
 & eminentissimum in mundo sibi vendicat locum. Ex hac
 radice juxta usitatam formandi rationem **לֹא** rectissimè
 deducitur. Atque ita Orientales linguæ cognatæ manibus
 se complexæ ad nutum Ebrææ suæ matris præstolantur, ut Dn.
 Laurentius Fabritius, notante B. Trostio in N. T. Syr.
 scribit.

Quæstio II.

*An cœlum ejusdem sit materia cum Elementis vel
 corporibus sublunaribus & N.*

Maxima inter Philosophos semper fuit discrepantia de
 materia Cœli, adeò ut acutissimi aliàs viri quid statuerent, ob
 humanæ mentis caliginem vix assequerentur; atque ideò ta-
 cere potius, quàm quid asseverare merudem juberent. Qui-
 dam enim, ut ex verustioribus *Pythagoras & Heraclitus*: & ex
 recentioribus *Vallesius in sacra Phil.* & alij cœlum & astra
 ignæ esse naturæ statuunt. At si hoc verum, superiora non
 tam virtualiter, quàm formaliter calida essent. Alij, ut *Go-
 ckenius in disp. Phys.* cœlum aëreum esse volunt. Sed aër id
 non præstat, quod cœlum. Alij ut *Josepb. l. 1. antiq. c. 2.* sub-
 stantiam cœli aqueam esse arbitrantur. Verum cœlum tan-
 tâ crassitie non est præditum, quantâ aqua: præterea etiam
 aquas ab aquis distinguit, igitur ejusdem cum ipsis naturæ non
 est. *Thales* cœlum corpus quoddam terreum & grave statu-
 it, atque ita (ut in proverbio ajunt) cœlum terræ miscuit.
Empedocles quasi crystallum ex aere & igne confectum: *Plato*
 quasi ex Elementorum delitijs, præsertim ignis & terræ con-
 flatum esse voluit. Sed cui simplicia denegantur, illi etiam
 denegabitur id, quod ex simplicibus consistit.

Ita mens humana nostra quid negare potius, quàm quid
 affirmare debeat, heic reperit. Attamen si aliquid dicendum,
 dicimus & supra probavimus, Cœli jam constituti materiam



revera dari, eamque ab alijs inferiorum corporum materijs distinctissimam. Similitudinem verò quandam & convenientiam cœlestis & Elementaris substantiæ agnoscimus. Sic cœlum est simile igni, ratione lucis quam habet, & caloris, quem parit: est instar aeris & aquæ fluidum, ut quemadmodum aves in aere, & pisces in aqua, ita Stellæ in eo moveantur: & cum alijs quoque corporibus comparari potest. Vid. B. Meisn *part. 1. Phil. Sob. s. 3, c. 4. q. 2.*

Quæstio III.

An cœlum habeat orbés reales? N.

De orbibus cœlorum multa Physici proferre solent, quod Stellæ ipsis inhæreant, sicut clavi rotæ, atque ad eorum revolutionem moveantur. Quin etiam addunt omnes re ipsa inter se distinctos esse, ita ut alius alium non secus ac pelliculæ alij, & superior inferiorem semper includat. *Pythagoras* existimavit eos esse solidos & aheneos, ideoque ex illa conversione velocissima sonum aliquem excitari, & quidem suavissimum affirmavit. *Macrob. l. 2 som. c. 3.* Verùm quid opus est ejusmodi orbibus & sphaeris? Motus ille Stellarum non est violentus sed naturalis, (ut etiam supra dictum) atque ita à propria forma, cui Creator hanc movendi vim & facultatem indidit, proficiscitur. 2. Ex motu Planetarum figmentum illud refutari potest. Nam cum situ illi variant, & alter alteri modò sit superior, modò inferior: sine corporum interfectione & penetratione, si cœlum realibus constaret orbibus, id fieri non posset. Interim ut orbés & circuli ab Astronomis *διδασκαλίας ἕνεκα* retineantur, nihil prohibet. Tales enim figuræ adhibentur, ut motus Stellarum multò ordinatius declarari queant. Vid. *Excell. & Exp. Sennert Phys. l. 2, c. 2.*

Quæstio IV.

An Stelle influant in voluntates hominum? D.

Lice

Licet magna sit Stellarum vis in hominem ; tanta tamen ea non est, ut voluntatem ejus possit cogere, vel ut loquuntur, necessitare. Distinguendum igitur est 1. inter influxum directum & indirectum. 2. inter necessitantem & suadentem. *Directè* tantum influunt Stellæ in res materiales & purè naturales. *Indirectè* verò etiam in ipsam animam agunt, quatenus corpus hominis afficiunt, & quod ex humorum qualitatibus mixtis oritur, temperamentum variè disponunt. Nam egregius est animæ & corporis consensus. Mores etiam plerunque sequuntur temperamentum, præsertim si suo quis à juventute relinquatur genio. Anima præterea mediantibus organis agit. Quod si ergò organorum dispositio aliò inclinât, eò etiam anima facilè persuadetur. Attamen homo dominari astris & perturbationes omnes reprimere potis est. Sic etiam si per caliditatem Solis ad potionem quis irritatur : tamen à potu abstinere quit, uti Socratem post sudorem è palæstra collectum nunquam de primo cratere bibisse legimus. Verissima igitur dicteria sunt: *Astra inclinant, non necessitant.* ut Alphonfus dicere solebat. Item.

Astra regant homines, sed regit astra Deus.

Quisque suæ sibi fortunæ architectus est ; & improbus cadit culpâ non astrorum, sed propriâ, cum mala astrorum significata, si quæ fuerint, vel consilij constantia, vel studio & diligentia, precatione alijsque virtutis & pietatis exercitijs impedire potuisset.

Dicendum etiam esset de Stellis fixis & Planetis, de Cometis seu stellis, ut vocant, novis. Item de luce & radiis, & quomodo Stella hæc inferiora calefaciant, frigefaciant, humectent, exsiccant & ejusmodi plura præsent: verum cum jam dum materia excreverit, nec ejusmodi cælorum sacra omnia integrè pervulgata fuerint, igitur concludo, & cætera iis, quos felicioris ingenij dote ditavit Deus, investiganda linquo.

Deo Creatori Conservatoriq; cælorum & Stellarum sit laus honor & gloria.

Præstan-



Præstantissimo & Literatissimo
Dn. Johanni Schindlero
Amico suo.

Perpetuant excelsa suo Miracula motu
Coeli, quæ tacitè natio quæq; stupet,
Nomine quo meritò coelos specularis & astra
SCHINDLERE Aonidum portio grata
gregis.

Scrutando coelum quæramus, Patria cœlum est,
Executit ingenuos impia terra viros.

M. Martinus Heinsius.

EN! *superum, SCHINDLERE, poli penetrare theatrū,*
Stellarumq; choros prendere mente studes.
Annuat ipse Deus cœptis, ut deniq; fias
Lucida Stella soli, splendida Stella poli.

Sympatriotæ
suo fac.

Hieronymus Mōzel
Chemnicensis.

FINIS.

05 A 847

ULB Halle 3
003 768 252




W017





931.



Dr. P. A. N. O. S. O. B. E. R. O.
 Dr. J. E. M. M. A. N. N. I. S. P. I. R. I. T. U. S. S. I. U. S.
 Dr. M. J. O. H. A. N. N. I. S. P. I. R. I. T. U. S. S. I. U. S.

O G I A

ratia,
 n. Academia
 subjicient

HEINSIUS

archicus

INDLERUS

Alumn. Elect.

natutinis,
 borum.

E,
 Acad. Typogr.
 XVII.

